



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

III. Ejus officium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

4 BONA VOLUNTAS  
relictō: hoc certum, quod de animalibus istis opinio vulgavit, hominum singulorum voluntati contingere, ut cunctarum rerum, ad quas amando desiderandōve adjungitur, colores, formamque, aut deformitatem accipiat. Mala voluntas est, quæ ad malum fertur; pessima, quæ ad pessimum: bona est, quæ bono inhiat aut delectatur; optima, quæ optimo.

III. Ab hoc fonte manavit Epicteti, *Ejus officium.* Ethnicorū Philosophorum æquissimi & sanissimi, breve ac celebre præceptum, ἀπέχου καὶ ἀνέχου. *Abstine, & sustine.* Abstine à vitiis, ne malus fias, mala volendo. Sustine adversa, ne malè ferendo, aut ferre nolendo, malus fias. In hæc duo verba summam Philosophiæ universæ, & virtutem omnem contulit consuinmati sapientis. Quamquam nos hodie commodiùs in præcepta tria officium Bonæ voluntatis, & compendium sanctimonix dividimus: *Age, Abstine, Sustine.* Cùm enim Optima DEI Voluntas imperet aliqua, vel suadeat; prohibeat

## OPTIMÆ CONSENTIENS. §

hibeat quædam, alia permittat : bona hominis voluntas ad illam sese accommodat, agendo ex ejus præceptis & consiliis, abstinendo à vetitis, tolerantiam suam aptando permissis. O nos fælices quibus & facienda, & cavenda, & patienda ex DEI arbitrio, manifestè cognita sunt. A Moysè olim Deut. cap. 4. Israëlitæ appellati *populus sapiens, & intelligens, gens magna*. Dominus enim dux eis fuerat, & cum eo *Sanctorum millia, & in manu ejus ignea lex* : imò in ipso castrorum motu ac metatione *ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum: ad imperium Domini erigebant tentorium, & ad imperium illius deponebant*. Quantò beatior illis es, Christiane, quia, quæ placent Deo, manifesta sunt tibi, longè clariùs, ex quo loquens olim Patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in filio. Ex illo divinissimo doctore, in eo absolutissimo exemplari, didicisti, quid & quemadmodum agas, fugias, patiare.